Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1083
Quelle:
Copyright:

VII. *fol.* 59. Ventilatur Quaeſtio, an liceat vendere et redimere Cenſus absque Uſurae nota. Initium: *Abbas ſancti Jacobi de conſenſu conuentus vendidit petro ementi de omnibus Monaſterij ſui bonis Jus percipiendi ſingulis annis cenſum vnius libre denariorum* &c. Decidunt affirmando ſubſcripti *Dymis Archiep. Jannenſ.* et *Alvillus Rector eccleſie ſancti Pinanti Vticenſ. Dioc.* Fictitia haberem haec nomina, ut ſunt Caſuiſtarum *Cajus*, *Titius*, *Berta*, niſi *Dinus* intra annos 1337 — 42. ſediſſet *Januae* Archiepiſcopus.

VIII. *fol.* 66. Varia ad moralem Theologiam pertinentia *de Confeſſione et Satisfactione, de Abſolutione, de Recluſis, de nouis Conſtitutionibus papalibus* circa an. 1413.

IX. *fol.* 69. *Iſti duo pſalmi ſunt de paſſione domini ſpecialiter et ideo hic notati ſunt cum ipſorum gloſa lire.* Sunt vero XXI. et I. XVIII. germanice redditi cum Expoſitione *Nic. de Lira* in hunc modum: *Deus meus reſpice in me. quare me dereliquiſti &c. Got meyn got ſich mich an. warumb haſt du mich verlaſſen. in der Juden hende nach iren willen. Verre von mynen heyle. Daz iſt. das in got der vater nicht erledigt von dem leyplichen tode.* &c. In hunc modum et alter: *Saluum me fac deus* &c.

X. *fol.* 75. p. 2. *Sequitur vnus tractatus de locutione ſuper hoc versu: quis quid cui* &c. *Albertani* Cauſſidici *Brixiani* eſt jam hoc et ſuperiore *Vol.* memoratus, incipiens: *Quoniam in dicendo multi errant* &c.

XI. *fol.* 79. ἀνεπιγράφως Tractatus de Caſibus reſervatis multis ſcatens verſibus technicis, cujus initium: *Nota ſex tantum caſus quos debet ſacerdos mittere ad epiſcopum qui tamen multos alios continent. Verſus.*

Enormes. Anathema. Cremans. Mutatio voti.
Vſus. Solempnis. tibi dentur epiſcope ſex hec.

quibus deinde ſemper proſa ſuccedit explicatio

XII. *fol.* 91. Brevis Expoſitio Decalogi, qua enumerantur, qui contra ſingula Praecepta offendunt. *Primum preceptum eſt. Non adorabis deos alienos. propter quod tria hominum genera dampnantur* &c.

XIII. *fol.* 92. p. 2. *Incipit epygramma in granum ſynapis.* Canticum vetus germanicum myſticum de Divinitate eſt *Granum* iſtud *Sinapi*, in quod per *peryodos* ſive Strophas commentatur latine Anonymus, de quo in calce: *Hec ille edidit, qui contemplatiue vite fuit.* Non deeſt Viro multiplex PP. uſus; praecipue vero *Pſeudodionyſium* ſectatur. *Epigramma* ſuum, quod aliis Prologus eſt, ita orditur: *Abyſſus abyſſum inuocat in voce katharactarum tuarum. Verſiculus ille in duas partes diuiditur. In prima enim parte dicit. quod profunditas diuini ſermonis pro-*